



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Vita P. Ignatii Loiolae, Qui religionem Clericorum  
Societatis Iesu instituit**

**Ribadeneyra, Pedro de**

**Coloniæ Agrippinæ, 1602**

Collegia aliquot in Hispania nostri instituu[n]t: ab Archiepiscopo Toletano  
vexantur. IIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45323**

COLLEGIA ALIQUOT IN HI-  
spania nostri instituuntur: ab Archie-  
piscopo Toletano ve-  
xantur.

## CAPUT III.

Actis Romani Collegij fundamen-  
tis, discensit Frāciscus Borgia ex Vr-  
be, atque in Hispaniam rediit: ibi di-  
tionem suā filio natu maximo cedit  
secularem cultum exuit: in Cantabriā  
remotam Hispaniæ partem se recipit:  
sacris initiatū concionatur: ostiati-  
mendicat, magna hominum admira-  
tione. Elus rei fama atque exemplo co-  
moti nobilissimi quidam viri, ad il-  
lum veniunt, & se ad nostram Societa-  
tem adiungunt. Ognatense prætereà  
Collegium ab eodem Patre habitari  
coepit, cui Petrus Aracz possēssiones  
quasdam suas, & fructus anteà legau-  
rat. Burgense eodem item tempore est  
inchoatum. Nam cùm Franciscus Mē-  
doza Cardinalis, creatus eius ciuitatis  
Episcopus, ad diœcesim suā perlustrā-  
dam, & verbū salutis ouib. ministrādū,  
duos ex nostris ab Ignatio impetrā-  
ser: illi, imposito sibi munere expleto,  
præclarā Collegij instituēdi, occasio-  
nem.

nem dederunt, quod Franciscus Strada multum deinde suis concionibus illustravit.

Metinensi etiam Collegio Rodericus Duegnas, vir copiosus, & pius initium attulit: qui Petri Fabri, & Antonij Araoz familiaris sermone permotus, ad suam, & ad publicam eius civitatis utilitatem, aliquot ex nostris expetivit. Auxit vero ciuium studium, nostrorum praesentia, & in plateis habitae conciones. Itaque Anno 1551. nostri ad constituendum Collegium Metinam primū missi sunt: quod postea Petrus Quadratus, eiusq; vxor Francisca Manson, opibus ac religione præstantes exædificarunt, & certis redditibus stabilierunt.

Sed ut lætis aduersa succederent, & Societas nunquam non exerceretur utiliter, sub idem tempus grauis in Hispania, ab Archiepiscopo Toletano Ioanne Siliceo procella in nosros est excitata. Hic aliter quam res est, de Societatis instituto sentiens, Sacerdotes omnes, qui exhortationibus spiritualibus eruditi à nostris erant, confessiones audire Toleti vetuit: Conpluti vero, vbi solum in eius diœcesi, tunc cōmorabantur, publicis edictis populum à no-

à nostris Sacra menta percipere prohibuit: qui secus facerent, his sacris interdicit. Neq; vt sententiam mutaret, adduci prius potuit, quām Archiepiscopi factum contra summi Pontificis autoritatem (de cuius voluntate diplomatis ipsis Pontificijs constabat) esse iudicans, Regium Consilium nostrum nobis institutum voluit liberum esse. Et Pontifex ipse Maximus Julius 111. certior de re factus ab Ignatio, grauiter ad Archiepiscopum scripsit: mirari se, & molestè ferre, quod suscep tam, & probatam à Sede Apostolica Societatem, minus ipse probaret, & in omnibus penè Christiani orbis Provincijs magna cum utilitate versantem, meritoque proinde ab optimo quoque expeditam, solus ipse repudiaret, ac rejiceret. Quibus literis, & Regio edicto factum est, vt Archiepiscopus decreta sua revocaret, nostrisque suam facultatem integrām esse permitteret. Cū primū autem hanc ab Archiepiscopo Toletano in Societatem commotam tempestatem Ignatius audiuit, blādo ac trāquillissimo, vt solebat semper vultu, mihi dixit: In magnæ felicitatis parte hæc nobis aduersitas est numeranda, cùm nulla nostra culpa contra.

tractasit. Est enim eidens argumentum, quod Dominus noster magnos fructus faciet Toleti per Societatem. Nam illud compertum est, ibi nostros vberiores fructus atque suauiores attulisse, ubi grauiora passi sunt. Atque etiam illud adiecit: Archiepiscopus senex est, Societas iuuenis, itaque naturaliter plus viuet Societas, quam Archiepiscopus. Porro quam vera fuerint Ignatij verba, quae Toleti postea consecuta sunt, atque in praesens hant, facile ostendunt. Idque ab ipsa statim Archiepiscopi Silicei morte manifeste cognitum est. Nam cum illo mortuo, nostri Toletum accersiti primùm sunt, & ad habitandum certum in nobilissima atque amplissima ciuitate domicilium ingressi: in his ædibus habitaue runt, quas Archiepiscopus ipse Siliceus exædificauerat in Clericorum usum, & instruxerat. Notatumque est à multis, & animaduersum, omnes magni illius Archiepiscopi aduersus Societatem conatus, eò demum recidisse, ut domum illis ædificasse videretur, quos bono fortasse zelo, sed non secundum scientiam, suis ipsorum domibus cuperbat eiectos.

PRO